

QUÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS mané discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-septimâ Novembris.

M. LUDOVICO FRANCISCO DUTAL, Doctore Medico, Præside.

An à Spiritibus Morborum Causæ?

I.

CORPUS humanum, licet unum, compositione tamen est multiplex: hinc à variis variè dividitur, ab Hippocrate, in continentia, contenta & impetum facientia; illa tam corpori propria sunt, ut vel in mortuo remaneant, & ab Anatomicis demonstrentur: hæc cum ipsâ vitâ simul evanescunt; sunt quasi corporis & animæ vinculum, hancque in sensu præditis efficiunt. Substantiæ quidem sunt corporeæ, sed adeo tenues & subtiles, ut spiritale quid, & corporis expertes videantur, & idcirco spiritus appellentur: tam efficaces, tantâque agendi vi præditi, ut functionum omnium sint opifices, & ab impetu quem excitant, dum in corporibus per proprios sibi tubulos excurrunt, divino Seni ἐνορμῶντα nuncupentur.

II.

PRO triplici functionum genere, triplex à Veteribus statuebatur spirituum genus, Naturalis, vitalis & animalis, & sua cuique designabatur officina: quod quidem munus erat tam nobile, ut partem illam principem efficiebat. At cum Ætas nostra jecur expurgando defæcandoque sanguini, potius quam conficiendo dicatum esse deprehenderit; illud abdicavit suo principatu, spiritumque naturalem, quem in &

ab ipſo præparari volebant Veteres, rejecit: Etenim cum vita conſiſtat in nutritione aliiſque functionibus naturalibus; Quæ ſpiritum naturalem à vitali diſtinguendi neceſſitas? quin imo licet diverſæ plane ſint functiones vitales & animales, illæque ſine iis poſſint aliquatenus ſubſiſtere, dubium tamen eſt num iſti duo ſpiritus eſſentiâ vel tantum præparatione & acuratiori elaboratione differant. Vitalis quidem in corde fit è tenuiori ſubtiliorique ſanguinis portione, cui, aëris quem expirando ducimus, aliquid admixtum eſſe nonnulli volunt. Sed aſſignare vias per quas aër ille feratur in cordis ventriculos, difficile: cum ſpiritus per eaſdem vias poſſent effluere & diſſipari. Animales in cineritiâ ſeu corticali cerebri ſubſtantiâ per meram ſecretionem colatoriam parari generarique, nunc unanimis eſt ferè omnium conſenſus; non quidem in ventriculis: cum ii potius excrementis excipiendis & vacuandis deſtinati ſint, à quibus obruerentur & ſubmergerentur ſpiritus: ſicque malè ſibi conſentiunt Veteres, dum munus princeps cloacis aſſignant. Ut vitales per arterias, ita per nervos ſpiritus animales, qui cum longè ſubtiliores ſint, neque ut conficiantur, neque ut per univerſum corpus diffundantur, manifeſtam requirunt cavitatem, unde plurimi functiones quarum cauſæ ſunt & opifices, per irradiationem fieri voluere.

I I I.

HOMO prout bene vel male ſuas exercet functiones, ſanus eſt aut ægrotans: ſanitas enim eſt eas perfectè exercendi potentia, quæ cum ab iiſdem benè affectis procedat, erit, ab iiſdem male affectis impotentia, quæ morbus eſt. Sanitatis & morbi ſubjectum ſunt continentia, contenta utriuſque cauſæ ſunt & effectus. Sed ea eſt hominum ſors & conditio, ut quæ data naturæ ſunt ad robur & tutelam, in ipſius aliquando perniciem convertantur; ſicque ſpiritus qui ad retundendos morborum impetus, impetum facere deberent: illum ipſum in naturam aliquando dirigunt, & morborum cauſæ nonnunquam evadunt. Quemadmodum enim ſpiritibus illis exiſtentibus in corpore vitam adeſſe, & iiſdem penitus amiſſis aut extinctis mortem ſequi neceſſe eſt: Ita quoque ab iiſdem benè vel malè conſtitutis ſanitatem & morbum,

Hæc autem optima conſtitutio à pluribus dependet, à ſubſtantiâ primum, cujus ratione ſpiritus debent eſſe tenues, ſubtiles ætherei, puri & ab omni alienâ re defæcati. Tum à quantitate, ſufficienti copiâ, robore, & menſurâ. A qualitate poſtea, quâ calidi, lucidi, ignei, clari, vividi, mobiles, veloces, halituoſi. A motu demum qui prout eſt ordinatus, rectà per tubulos à Naturâ deſtinatos fieri debet. Horum aliquo deficiente, deficit hæc optima conſtitutio, morbiſque generandis evadit aptiſſima.

I V.

EX Naturali ſpirituum conſtitutione, facile eſt eam quæ præter naturam definire. Eorum enim ſubſtantia particulis heterogeneis inquinatur aliquando. Imo etiam arſenicale quid admiſceri poteſt. Non modo foris adveniens, ſed & cum intus generentur venena & in majori mundo ſint ejuſmodi; Quid vetat in minore aliquid analogum produci? Qualitate peccant ſpiritus, dum frigidi, craſſi, torpidi, languidi, denſi, tenebricoſi. Quantitatis defectus manifeſtè patet in iis qui nimio labore, jejunio, venere, aut aliâ nimiâ quavis evacuatione ſunt exhauſti. Exceſſus in intemperie calidâ & febribus, in quibus expanduntur, attenuantur & rareſcunt. Peccant in motu, dum eorum influxus prohibetur aut imminuitur, aut dum ille depravatur, fitque trepidationis, concuſſionis aut vibrationis.

V.

CUM igitur tam varii ſint modi, quibus à naturali conſtitutione recedant ſpiritus, tam varii quoque fontes ſunt, à quibus innumera morborum ſcaturiunt genera. Etenim pro variâ rei naturâ quâ eorum inquinatur ſubſtantia, varii ſunt: ſic ex auræ peſtilentis afflatu, morbi peſtilentes; Ex narcotici vaporis admixtione, apoplexia, carus: Ex rei ſuaveolentis halitu, affectus hyſterici: Ex craſſioribus ſpiritibus, ſtupiditas, fatuitas, amentia, ſopores: Ex igneis & calidioribus, phrenitis: Ex acribus igneis & denſis, mania: Ex tenebricoſis, melancholia: Ex concitatis & tenuibus, humorum orgaſmi. Ex imminutâ quantitate vel ex influxu prohibito vitalium, ſyncopes & lipothymiæ; animalium, ſtupores torpores & paralyſes. Ex inordinato motu, vertigines; tre-

mores, ex motu trepidationis; & ex concussionis aut vibrationis, convulsiones & spasmi. Ex animi pathematis tantæ tamque repentinæ contingunt in corpore perturbationes, ut aliunde quam à spiritibus repeti nequeant. Tamque gravia & vehementia in morbis ad sensum blandis & levibus, ingruunt aliquando symptomata, ut nullatenus humoribus, ut pote crassis, tot turbis excitandis imparibus, sed spiritibus debeant adscribi: qui quominus habent materiæ, eo majori pollent agendi vi & efficaciâ: atque in hisce tanquam suis in effectibus causæ demonstrantur.

Ergo à Spiritibus Morborum Causæ.

Domini Doctores disputaturi.

M. Joannes Gaillard.
M. Matthæus Dionysius Fournier.
M. Carolus Thuillier.
M. Jacobus Souhait.
M. Carolus Bompart, Scholarum Professor.
M. Claudius du Fresne.
M. Raymundus Finot.
M. Matthæus Thuillier.
M. Carolus Marteau.

Proponebat Parisiis JACOBUS FOURNEAU, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1701.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.